

DE CONTRITIONISMO ET ATTRITIONISMO IN SCHOLIS USQUE AD TEMPUS SANCTI THOMAE TRADITO

Illud omnibus in comperto est duplex systema a theologis traditum de dolore necessario et sufficienti in sacramento paenitentiae, contritionismi scilicet et attritionismi, quorum prius necessitatem contritionis verae et propriae talis pro validitate sacramenti paenitentiae vindicabat, posterius vero sufficientiam attritionis pro illius valore asserebat. Contritionismus autem in desuetudinem abiit, nisi apud theologos haeresi vel erroribus infectos, quorum rigorismus ipsos ad propositiones defendendas adduxit, quae ab Ecclesia damnatae sunt. Attritionismi vero plures formae obortae sunt (1), in quibus defendendis acerrimae controversiae coeperunt, quarum crescentem acerbiter Alexander VII anno 1667 cohibere voluit (2).

Non lubet nunc illam nimiam disceptationem iterum animo evolvere. Sed quoniam, ex perspicua doctrina Tridentini Concilii sententiae contritionistarum adversa, e scholis tandem hoc systema exulavit, non inopportuno fore existimavi, sententias theologorum qui Sanctum Thomam praecesserunt, et ipsius Angelici Doctoris, investigare. Haec quidem persuasio ex hac disquisitione nobis accedet, proprium videlicet contritionismum non nisi ex praeiudiciis et falsis cavillationibus theologorum ortum habuisse; unde mirum non sit quod, doctrina sacramenti paenitentiae maiore in luce posita, Ecclesia illi systemati noluerit sua auctoritate suffragari.

* * *

In primordiis Ecclesiae disciplinam paenitentialem rigorem quemdam hodie nobis mirandum induxisse, omnibus manifestum est; et licet solida ratione negari non possit privatam paenitentiam, (scil. non illam quae fiebat per aggregationem ordini paenitentium), iam ab initio Ecclesiae in usu fuisse, tamen nunc etiam ab omnibus vix non unanimiter admittitur, de peccatis etiam se-

(1) Cf. DIEKAMP, *Katholische Dogmatik*, t. III, p. 260, 3.^a et 5.^a edit. (Münster, 1922).
(2) DENZINGER-BANNWART, *Enchiridion Symbolorum*, 13.^a edit., n.º 1146.

cretis paenitentiam publicam fuisse tunc commendatam, et aliquando etiam impositam (3). Disciplina paenitentialis priorum saeculorum fuit quidem severissima, sed etiam christiani ad id continuis persecutionibus et abundantioribus gratiae auxiliis parabantur. Cum autem saeculo iv et v, facta pace, gregatim in Ecclesiam gentes ingressae sint, coepit illa prior disciplina paulatim mitigari, eo magis quod multi, qui paenitentiam publicam verebantur, ad extremum vitae susceptionem Baptismi differebant. Pedetentim status paenitentium disparuit, ac quidam catalogi confecti sunt poenarum seu satisfactionum qualitati et gravitati peccatorum respondentium, donec tandem illa determinatio ministro sacramenti paenitentiae relicta est.

Ad hanc autem disciplinae immutationem explicandam, confessionem ipsam ut paenitentiam quandam, theologi considerarunt, propter erubescientiam et humiliationem ad id requisitam. Erubescientiae illius certe Patres et doctores mentionem fecerant, verum non ita explicite ut satisfactionem quandam illam pertractarunt. Saeculo vero x haec doctrina magis magisque pervulgari coepit. Ita in collectione canorum, quae appellatur *Canones sub Edgardo Rege* (959-975), legitur: "Non erubescat confiteri scelera... quia inde venit indulgentia..., confessio enim iustificat" (4). Et in tractatu *De vera et falsa paenitentia* (1050-1075), Sancto Augustino quondam attributo, haec dicuntur: "Erubescientia partem habet remissionis... Multum satisfactionis obtulit qui erubescientiae dominans nihil eorum, quae commisit, nuntio Dei, denegavit" (5). Imo huic erubescientiae tribuit efficacitatem confessionis apud laicos factam, si paenitens sacerdotem invenire desiderat. Et adhuc saeculo sequenti Magister Sententiarum († 1160) scribebat: "Iubemur confiteri peccata, ut erubescientiam patiamur pro poena, nam hoc ipsum pars est divini iudicii. Si ergo quaeritur an confessio sit necessaria, cum in contritione iam deletum sit peccatum, dicimus quia quaedam punitio peccati est, sicut satisfactio operis" (6). Inde factum est ut saeculo xi ita extolleretur necessitas confessionis a theologis, ut etiam a nonnullis ipsa confessio apud laicos ut necessaria, in sacerdotis absentia, defenderetur.

Nec modo ad ipsam confessionem mentem converterunt scriptores ecclesiastici, mitigata priore disciplina de paenitentia publica, sed etiam ad paenitentiam internam seu cordis contritionem. Quo profecto ad hoc principium devenit, apud Deum plus dolorem de peccatis quam tempus satisfactionis esse ponderandum: "Apud Deum, aiebat Ivo Carnotensis († 1116), non tam valet mensura temporis quam doloris... Propter quod tempora paenitentiae fide et conversatione paenitentium abbrevianda praecipiant" (7). Quam vehe-

(3) GALTIER, S. I. *De Paenitentia*, n.º 297 (Paris, 1923).

(4) MANSI, *Amplissima coll. Concil.*, t. 18.º, col. 518 (Paris, Leipzig, 1902).

(5) *PL*, 40, 1122.

(6) *IV Sent.*, dist. 17; *PL*, 192, 885.

(7) *Decreti Pars V, De Paenit.*, c. 49; *PL*, 161, 869.

menter vim contritionis extulerit Petrus Abaelardus († 1142), inde colligi potest quod inter auctores hodie disputatur utrum negaverit necne potestatem clavium Apostolis concessam eorum successoribus esse transmissam, aliis id affirmantibus (8), aliis vero negantibus (9). Quidquid sit de hac re, inter errores a Concilio Senonense (1140) damnatos, a S. Bernardo collectos, et omnium fama Petro Abaelardo attributos, prostat 12, qui ita se habet: "Quod potestas ligandi atque solvendi Apostolis tantum data sit non successoribus" (10). Nec negari potest scriptores ecclesiasticos saeculi XII extitisse qui licet illam potestatem clavium agnoverint, ipsi contritioni praecedenti veram et propriam iustificationem attribuerunt. Ita plane in *Summa Decretorum* Magistri Rufini († circa 1190): "Nostra vero et plurimorum, immo prope omnium sententia haec est, ut in sola cordis contritione peccata dimittantur" (11). Unde nihil mirum si absolutio tantum designet peccatorum remissionem antea obtentam, ut ait cardinalis Robertus Pullus († circa 1150): "Confitentibus a sacerdote facta a peccatis absolutio remissionem peccatorum, quam antea peperit cordis contritio, designat" (12). Ac ipsa confessio ad contemptus evitacionem duntaxat conferat, ut *Sententiae Divinitatis* (1141/1148) tradunt: "Alii dicunt quod in sola contritione cordis peccatum dimittitur... Ad quid ergo valet confessio? Valet quidem non ad peccatorum remissionem, sed ad contemptus evitacionem" (13).

Quidam recentiores (14) existimarunt S. Anselmum Cantuariensem († 1109) O. S. B. eorum sententiam tenuisse qui contritione sola deleri peccata ducebant, absolutionem autem sacerdotis remissionem eorum coram Deo esse factam indicare. Ac textus S. Anselmi qui in hanc opinionem adducitur ille est qui ex *Homilia XIII* desumitur: "Pervenendum tamen est ad sacerdotes, et ab eis quaerenda solutio, ut qui iam coram Deo sunt mutati, sacerdotum iudicio etiam hominibus ostendantur mundi" (15). Fateor a me illam sententiam in hoc loco minime invenire. Notandum est hic loqui auctorem huius Homiliae de illis decem leprosis a Iesu Christo mundatis, ut a S. Luca c. 17 narratur; et hac occasione illustrat remissionem peccatorum, quae in sacramento paenitentiae peragitur. Hos leprosos iussit Christus se sistere coram

(8) VACANT, art. *Absolution* in *Dict. de Théol. Cathol.*, t. I, col. 170; SCHMOLL, O. F. M., *Die Busslehre der Frühscholastik*, p. 29 (München, 1909).

(9) TEEAERT, O. M. C., *La Confession aux laïques dans l'Eglise latine*, p. 90 (Wetteren, 1926).

(10) DENZINGER-BANNWART, *Enchiridion Symbolarum*, ed. 13^a, n.º 379 (Friburgi, 1921).

(11) *De paenitentia*, in SINGER, *Die Summa decretorum des Magister Rufinus*, p. 501. (Paderborn, 1902).

(12) *PL*, 186, 910.

(13) *Cod. lat.* 18919, f. 104^v Bibliothecae Monacensis, citatus a P. TEEAERT, *La Confession aux laïques*, p. 89, nota 2.

(14) VACANT, art. *Absolution* in *Dict. de Théol. Cathol.*, t. I, col. 172; TEEAERT, *La Confession*, etc., p. 94.

(15) *PL*, 158, 662.

sacerdotibus, ac dum irent ad illos mundati sunt. Hac autem comparatione inducta, peccatores, ait auctor noster, "euntes ad confitendum, *purgantur in ipsa confessione* (16), propter paenitentiam quam acturi sunt". Et inferius "ex quo tendentes ad confessionem et paenitentiam, tota deliberatione mentis peccata sua damnant, et deserunt, liberantur ab eis in conspectu interni inspectoris". Hic, ut apparet, ad statum illius alluditur qui cum plena et perfecta contritione ad sacramentum paenitentiae accedit. Nihil mirum si deinde addat verba superius relata, in quibus asseritur coram Deo hos peccatores iam fuisse mundatos, ac sacerdotis iudicio mundos ostendi. Iuvat animadvertere denique hodie a viris criticis negari huiusmodi homilias Sancto Anselmo esse tribuendas (17).

His addunt Vacant et P. Teetaert Hugonem Victorinum († 1141) in suo tractatu *De Sacramentis* (18) sententiam Anselmi impugnasse. Victorinus utique eorum refellere conatur opinionem, qui exemplo leprosi a Domino mundati, potestatem peccata remittendi soli Deo adscribebant, et afirmabant "ministeria sacerdotum nihil amplius virtutis habere, nisi quaedam tantummodo signa esse, ut ille videlicet qui prius per contritionem cordis intus a Domino absolvitur, postmodum in confessione oris ab eis absolutus esse ostendatur" (19). Ac ne Anselmum quidem nominat. Hugo vero concedens necessariam esse contritionem ante sacramentum Paenitentiae, duplex vinculum distinguit in peccatore, scil. "obdurationem mentis" et "debitum futurae damnationis". Obduratio sive excaecatio mentis a Deo per gratiam expellitur; debitum autem futurae damnationis non nisi sacerdotis absolutione. Quod quidem Lazari resuscitati exemplo illustrat, quem et a vinculo mortis intus suscitans Christus absolvit, et a ligaminibus externis Apostoli solverunt (20). Unde ulterius inter impietatem et peccatum ipsum distinguit: "Impietas namque peccati ipsa rectissime obduratio cordis accipitur, quae primum in compunctione solvitur, ut postmodum in confessione peccatum ipsum, id est, debitum damnationis absolvatur" (21). Eandem sententiam sequutus est discipulus quidam Hugonis, cuius est opus *Summa Sententiarum* (1155 ?) (22), ubi quaerit (23) "utrum solvatur homo a peccato, ut primum habet veram cor-

(16) Haec verba sunt a me subnotata.

(17) Cf. WILMART, O. S. B. *Les Homélie attribué à S. Anselme in Archives d'histoire doctrinale et littérature du moyen âge* (1927), 5-30.

(18) L. II, pars XIV, c. 8; *PL*, 176, 564-570.

(19) *PL*, 176, 564.

(20) *PL*, 176, 565.

(21) *PL*, 176, 568.

(22) Cf. CHOSSAT, S. J., *La Somme des Sentences. Oeuvre de Hugues de Mortagne vers 1155, (Spicilegium sacrum Lovaniense, fasc. V)*; GEYER, *Verfasser und Abfassungszeit der sog. Summa Sententiarum*, in *Theol. Quartalschrift* (1926), 89-107; LOTTIN, O. S. B., *La "Summa Sententiarum" est-elle postérieure aux Sentences de Pierre Lombard*, in *Revue Néo-scholastique de Philosophie*, 28 (1926), 284-302.

(23) *PL*, 176, 147-148.

dis contritionem”, et interrogat “si per contritionem cordis solutus est a peccato, a quo solvit eum sacerdos?”. Imprimis refutat eorum sententiam qui aiebant sacerdotem “solvere, non est aliud quam solutum ostendere”. Deinde suam propriam solutionem exponit, distinguens, ut Victorinus, duplex vinculum: caecitatem mentis, quae a Deo aufertur, et debitum futurae damnationis a sacerdote nomine Dei condonatum. Eandem opinionem amplexus est, ut videtur, discipulus Abaelardi Omnibonus († 1185) (24).

Haec tamen opinio plures patronos habere non potuit. Eam conatus est e suo fundamento evertere Petrus Lombardus, qui in l. IV *Sententiarum*, dist. XVIII hanc quaestionem proponit: “Hic quaeri solet si peccatum omnino dimissum est a Deo per cordis contritionem, ex quo paenitens votum habuit confitendi, quid postea dimittatur ei a sacerdote” (25). Sententia Hugonis reiicienda est; nam “qui... caritatem habet, dignus est vita aeterna. Nemo autem simul vita et morte dignus est” (26). Imo ex testimoniis Scripturae et Traditionis “docetur Dominum solum per se peccata dimittere”, “qui et animam mundat ab interiori macula, et a debito aeternae mortis solvit” (27). Quomodo igitur ligant et solvunt sacerdotes?: “Hi... peccata dimittunt vel retinent, dum dimissa a Deo vel retenta iudicant et ostendunt”. Nec mera potestas declarativa est quae in exercitio clavium includitur. “Ligant quoque sacerdotes dum satisfactionem Paenitentiae confitentibus imponunt. Solvunt cum de ea aliquid dimittunt vel per eam purgatos ad sacramentorum communionem admittunt” (28). Ex dictis constat, iuxta sententiam Petri Lombardi, iustificationem obtineri mediante contritione ante sacramentum Paenitentiae suscipiendum. Sacerdotes vero duntaxat pronuntiare iudicium a Deo factum, et ligare ac solvere a vinculo poenae temporalis.

Iam opinio Magistri Sententiarum, ad substantiam quod attinet, in plerisque scriptoribus ecclesiasticis saeculi XII et initii XIII invenitur. Ita loquitur Rolandus Bandinelli, postea Alexander III († 1181), qui tamen confessioni etiam et satisfactioni vim redimendi poenam temporalem tribuit (29). Ita etiam Gandulphus Bononiensis († post 1185), qui “solus ergo Deus, inquit... peccata dimitit... Item solus Deus hominem iustificat quod nulli hominum concessit... Christus... per se vivificat intus... ministris officium ligandi et solvendi tribuit, quod est officium satisfactionis iniungendi sacerdotibus tribuit” (30). Ulterius sibi hanc quaestiunculam Gandulphus proponit: An ministri intus vivificent. Et respondet in fine, “vincula peccatorum iubentur sol-

(24) Cf. GIELL, O. P., *Die Sentenzen Rolands*, p. 247 (Friburgi, 1891).

(25) *PL*, 192, 885.

(26) *PL*, 192, 886.

(27) *PL*, 192, 887.

(28) *PL*, 192, 888.

(29) Cf. GIELL, *Die Sentenzen Rolands*, p. 248.

(30) *Magistri Gandulphi Bononiensis Sententiarum libri quatuor* ed. JOANNES DE WALTER, l. IV, § 168 (Vindebonae et Vratislaviae, 1924).

vere ministri. Sed *vincula peccatorum poenae intelliguntur*, ut peccator ire, id est paulatim proficere possit" (31).

Similiter ac theologi memorati loquuntur alii. Ita Richardus Victorinus († 1173), licet addat contritione remitti peccata a Deo conditionaliter, donec paenitens recurat ad absolutionem, praeter casum quo eam accipere non possit (32), et hanc solvere etiam, sub conditione futurae satisfactionis, vinculum paenae temporalis in purgatorio solvendae (33). Scriptores autem posteriores nonnulli sequuti sunt Richardum Victorinum, ut Petrus Comestor († 1178/1179) et Praepositinus († circa 1210). At maxima pars eorum sententiam potius Magistri Sententiarum, circa vim contritionis declarativam, amplexi sunt. Ita Bandinus, Odo Suessionensis seu Ursi-Campi († 1171), Petrus Pictaviensis († 1205), Robertus de Cursona († 1218), Stephanus Langton († 1228) etc. (34). Quidam vero ex modo loquendi tum Richardo, tum Magistro Sententiarum favere videntur, ut Guilelmus Antisioderensis († 1231) et Caesarius Heisterbacensis († circa 1240) (35). Iam hi omnes scriptores ecclesiastici suppositum verae contritionis praeviae ad sacramentum Paenitentiae, ut fundamentum suarum sententiarum, iecerunt.

* * *

Mirabitur fortasse quispiam eiusmodi auctores in explicationes adeo a sensu Traditionis aberrantes incidere potuisse. Patres enim nusquam necessitatem contritionis caritate perfectae, ut conditionem necessariam sacramenti paenitentiae docuerunt. In *Supplemento Sancti Thomae* (36) quinque definitiones contritionis recensentur, quae apud veteres doctores inveniuntur, et longe lateque ab Alberto Magno discutiebantur (37). In nulla ex his sermo est de caritate perfecta. E. g. definitio S. Isidori ita sonat: "Contritio est compunctio et humilitas mentis cum lacrimis, veniens de recordatione peccati et timore iudicii". Alia definitio desumpta est ex verbis S. Gregorii M.: "Contritio est humilitas spiritus, annihilans peccatum inter spem et timorem". Nec defuerunt occasiones in quibus aperte indicarunt Patres non requiri contritionem iam per se iustificativam ad sacramentum paenitentiae adeundum. Ita saepius peccatores attritos in articulo mortis absolvi significarunt, et ingens animarum detrimentum censuerunt, si qui, propter ministri inopiam, carerent absolutione: quo quidem satis indicarunt posse homines vi absolutionis iusti-

(31) *Magistri Gandulphi*, etc., § 169

(32) *De Potestate ligandi et solvendi*, c. 8; *PL*, 196, 1165.

(33) Cf. etiam c. 6, 1163, 1164.

(34) Cf. TEETAERT, *La Confession aux laïques*, p. 97-98.

(35) VACANT, art. *Absolution*, col. 174-175.

(36) q. 1, a. 1.

(37) In IV, dist. 16, a. 7; ed. Vivès, t. 29, p. 552-559 (Parisiis, 1894).

ficari (38). Huc accedunt Patres qui, uti Pacianus in *2.^o Epist. ad Sympronianum*, de sacramento Paenitentiae asserunt illud esse secundam post naufragium tabulam. Quae autem Patrum dicta falsa probarentur in sententia perhibente remissionem peccatorum, quantum ad culpam, nunquam contingere nisi ex opere operantis, h. e. per contritionem perfectam.

At quamquam haec ita sint, negari non potest Patres, sacramentum paenitentiae illustrantes, nonnulla exempla Sacrae Scripturae adhibuisse, in quibus adumbrandis, aliqua protulerunt praeposteri interpretationi obnoxia. Ita exemplo Lazari ad vitam suscitati, potestatem Ecclesiae exponentes, docuerunt Dei solius esse vivificare peccatores, sacerdotum vero solvere viventes, quemadmodum discipuli Lazarum solverint iam viventem, ut S. Augustinus *Serm.* 67, n.^o 3 (39). At exemplum Lazari eo unice pertinet ut ostendatur ministerium sacerdotum in peccatore supponere vitam quandam *inchoatam* et *imperfectam*, scil. vitam fidei et paenitentiae, non vero vitam *perfectam* et *habitualement* gratiae sanctificantis. Ita sat clare hoc indicat S. Pater *In Joan. tract.* 49, 24 (40): "Ut confitearis Deus facit voce magna clamando, id est, magna gratia vocando. Ideo, cum processisset mortuus adhuc ligatus, *confitens* et adhuc *reus*, ut solverentur peccata eius, ministris dixit Dominus: *Solvite*, etc.". Certe S. Hieronymus *In Mat.* 16, 19 (41) adhibito exemplo leprosum Veteris Testamenti, ait: "Quomodo ergo ibi leprosum sacerdos mundum vel immundum facit, sic et hic alligat vel solvit episcopus et presbyter, non eos qui insontes sunt vel noxii". At disputat S. Doctor contra eos sacerdotes qui sibi concessam putabant potestatem remittendi et retinendi peccata nulla lege constrictam, ita ut arbitrio, causa peccatorum non prius cognita, innocentes damnare et noxios solvere possent. Itaque innocens nominatur peccator, qui, cognita peccatorum causa, et considerata dispositione secundum legem evangelicam, absolvendus est; noxius autem, qui secundum eandem legem non est absolvendus. Nam aperte S. Hieronymus in *Dial. cont. Lucif.* 5, (42), describendo reconciliationem paenitentium ab episcopo factam ait a sacerdotibus peccatores reconciliari (43).

Iam vero maxima pars scriptorum ecclesiasticorum saeculi XII et initii XIII appellant ad haec et alia loca Sanctorum Patrum et ad textus Sacrae Scripturae, non quidem ad necessitatem contritionis perfectae probandam, pro susceptione sacramenti paenitentiae, sed ut evincatur hominem per plenam contritionem (quae supponebatur adesse) ante sacramentum paenitentiae iusti-

(38) Vide sis hos textus citatos a D'ALÈS, S. J., *Prima Lineamenta Tractatus Dogmatici De Sacramento Paenitentiae*, p. 74 (Paris, 1926).

(39) *PL.*, 38, 434.

(40) *PL.*, 35, 1757.

(41) *PL.*, 26, 118.

(42) *PL.*, 23, 159.

(43) Uberiorem expositionem textuum, qui difficultatem gignere possunt, ac huius solutionem quis inveniet in opere Patris GALTIER, *De Paenitentia*, p. 107-115.

ficari. Sufficiat adducere, ut hoc ostendatur, verba quae inveniuntur in *De Paenitentia* Gratiani († 1140), quae sin minus ad verbum saltem ad sensum repetuntur a scriptoribus qui post illum venerunt.

“Conversio... dicitur quasi cordis undique versio. Si autem cor nostrum undique ad Deum a malo vertitur, mox conversionis suae fructum meretur, ut Deus ab ira ad misericordiam conversus peccati praestet indulgentiam, cuius primo praeparabat vindictam. Unde datur intelligi, quod *etiam ore tacente veniam consequi possumus*. Hinc etiam leprosi illi, quibus Dominus praecepit, ut ostenderent se sacerdotibus, in itinere, ante, quam ad sacerdotes venirent, mundati sunt. Ex quo facto nimirum datur intelligi, quod *ante, quam sacerdotibus ora nostra ostendamus, id est peccata confiteamur, a lepra peccati mundamur*. Hinc etiam Lazarus de monumento vivus prodiit; non prius de monumento est eductus, et postea a Domino suscitatus, sed lapide remoto, quo monumentum claudebatur, in sepulcro revixit et foras vivus prodiit. Hinc etiam ut Dominus ostenderet, quod non sacerdotali iudicio, sed largitate divinae gratiae peccator emundatur, leprosum tangendo mundavit, et postea ut sacerdoti sacrificium ex lege offerret praecepit. Leprosus enim tangitur, cum respectu divinae pietatis mens peccatoris illustrata compungitur... Leprosus semetipsum sacerdoti repraesentat, dum peccatum suum sacerdoti paenitens confitetur. Sacrificium offert ex lege, dum satisfactionem Ecclesiae iudicio sibi impositam factis exequitur. Sed *ante, quam ad sacerdotes perveniat, emundatur, dum per contritionem cordis ante confessionem oris peccati venia indulgetur*” (44).

Ne quis autem his et similibus textibus perlegendis fallatur, prae oculis habere oportet occasionem qua haec scribebantur. Nimirum disputatio quaedam vehementer tum in scholis agitabatur, quae ita a Petro Lombardo enuntiatur: “Dicunt... quidam sine confessione oris et satisfactione operis neminem a peccato mundari, si tempus illa faciendi habuerit. Alii vero dicunt ante oris confessionem et satisfactionem, in cordis contritione peccata dimitti a Deo, si tamen votum confitendi habet” (45). Huic alteri sententiae favet Lombardus: “Sane dici potest quod sine confessione oris et solutione poenae exterioris peccata delentur per contritionem et humilitatem cordis” (46). Disputabatur igitur an illa contritio praecedens sacramentum se sola iustificaret, vel potius in ipsa confessione et satisfactione, quasi illa prior contritio ad deletionem peccati non sufficeret. Qui primum defendebant nitentur illis textibus S. Scripturae, quibus adhuc nunc vis iustificativa contritionis perfectae demonstratur, ac locis S. Patrum antea adductis, quae ab his scriptoribus ita intelligebantur, ut ex illis evinceretur iustificationem anteire exercitio cla-

(44) Ed. FRIEDBERG, *Corpus iuris canonici, I. Gratiani Decretum*, p. 1166 (Lipsiae, 1879).

(45) *PL*, 192, 880.

(46) *PL*, 192, 881.

vium (47). Non ergo disceptabatur de necessitate vel non necessitate contritionis perfectae ante confessionem, sed potius supponendo hanc esse perfectam, controvertebatur an illa se sola vel cum confessione sacramenti penitentiae iustificaret (48). Quid autem accideret in casu quo quis ad sacramentum paenitentiae accederet sine contritione perfecta, an illa sufficeret necne, ab his non tractabatur. Qui vero saeculo XIII hunc eventum attingere coeperunt, quaestionem solverunt, ut inferius patebit, asserendo paenitentes nonnunquam ad contritionem perfectam in ipsa confessione pervenire.

* * *

Nomen *attritionis* apud auctores, quorum opera ad nos pervenerunt, primum occurrit in libro cui titulus *Regulae de sacra theologia*, quem Alanus de Insulis († circa 1203) scripsit. Hoc nomen ab ipso pluries usurpatur. En locus praecipuus: "Malum... aut attritione remittitur, ut quando aliquis dolet se hoc commisisse, cessans ab opere, quamvis non paeniteat perfecte; aut contritione dimittitur, quando plenarie de peccato convertitur" (49). Unde falso dixit Morinus (50) nullum fuisse auctorem saeculo XIII priorem, qui nomen attritionis commemorasset. Mentio attritionis occurrit etiam apud Stephanum Langton († 1228), qui, in *Summa theologica* adhuc inedita, considerat attritionem tanquam elementum contritionis, illamque ita definit: "Attritio est amaritudo cordis quam habet homo peccatum suum recolens et detestans" (51). Innocentius III († 1216) in *Comm. in Psalmos paenitentiales*, Ps. 1, discrimen instituit inter contritionem et attritionem per earum effectum: "Nisi talis et tanta sit conturbatio paenitentis, ut sufficiat ad avertendam poenam aeternam, atterit procul dubio, sed non conterit, poenam inferens sed veniam non impendens" (52). Et supponit nonnunquam remissionem peccatorum in ipsa confessione obtineri; ait enim: "Quae [exterior confessio] saepissime sequitur, remissionem peccati" (53). Ergo aliquando non sequitur, seu remissio fit in ipsa peccatorum confessione. Etiam Guilelmus Antissiodorensis († 1231) attritionem ut motum quemdam praevium perducentem ad contritionem consi-

(47) Cf. DEBIL, S. J. *La première distinction du DE PAENITENTIA de Gratien in Recue d'Histoire ecclésiastique*, XV (1914), p. 251-273. 442-455.

(48) Hoc ad summum potest admitti, scil. quosdam non admisisse aliam contritionem nisi perfectam, quia existimabant non nisi hanc esse veram compunctionem. Ita Petrus Lombardus: "Nemo... vere compungitur de peccato, habens cor contritum et humiliatum, nisi in caritate" (IV *Sent. dist.* 18, n.º 4; *PL*, 192, 886). Sed ideo iudicabant quia aliam contritionem nondum examini subiecerant.

(49) *PL*, 210, 665.

(50) *De Disciplina in administr. sacr. Paenitentiae*, I, 8, c. 2, n.º 14.

(51) *Codex Bamberg.*, 136, Q. VI, 50 fol. 74^b; Cf. SCHMOLL, O. F. M., *Die Busslehre der Frühscholastik*, p. 94 (München, 1909).

(52) *PL*, 217, 1004.

(53) *PL*, 217, 1016.

deravit in *Summa aurea*: "Quanto anima magis ac magis atterit se ipsam et punit se, tanto magis in se pacem habet" (54). Ita loquitur Antissiodorensis effectus contritionis explicans.

At inter eos qui potissimum, ante Sanctum Thomam, attritionem, ac profecto respectu sacramenti paenitentiae considerarunt, Guilelmus Alvernus, Alexander Halensis et S. Bonaventura numerantur. Primus Guilelmus Alvernus sive Parisiensis († 1248) inter theologos discrimen specificum denotavit attritionem inter et contritionem. Verba ipsius audiamus: "Si quis quaerat, quae sit differentia inter attritionem et contritionem, et inter motus praeveniens gratiam gratum facientem, et motus ipsius gratiae, ... nullatenus dubitandum est, quin gratiam quandam praeveniens habeant et praeparantem eos ad gratiam gratum facientem. Dico ergo quod attritio ad contritionem sic est, sicut vulneratio non laetalis ad occisionem, et gratia praeveniens ad gratia gratum facientem sicut calefactio ad arsonem et sicut illuminatio, quae est umbra, ad irradiationem" (55). Motiva vero apud Guilelmum Parisiensem eadem occurrere possunt pro attritione et contritione, semper tamen hi motus a Spiritu Sancto originem ducunt: "Quia ergo motiva principia motuum istorum aequalia sunt, et aequae nota sunt, et aequae dignum et iustum est istis motibus persequi, impugnare, arcere, et contere veterem hominem, quae aequaliter in attritione et contritione veteris hominis requeruntur" (56). Satis aperte Guilelmum docuisse videtur peccatorem aliquando virtute clavium ex attrito devenire contritum: "Pie etiam credimus et sentimus, iis, qui cum fide huius sacramenti et vehementi desiderio redeundi in Dei pacem et gratiam, licet timore infirmitatis suae et oppressionem malae consuetudinis propositum abstinendi a consuetis et eadem emendandi non habeant, interdum de divinae pietatis abundantia, *virtute clavium et sacramenti istius praestari huiusmodi propositum et infundi*. Conantibus enim ad Deum reverti, dexteram auxilii sui porrigere Patrem misericordiarum dubitandum non est. Quemadmodum ille, qui lunaticum filium attulit ad Dominum Jesum, Marci 9, credere quidem nitebatur, sed nondum fidem, ad quam conabatur, habebat, propter quod et dicebat: credo Domine, adiuva incredulitatem meam, merito tamen sui conatus et filio sanitatem, et ipsimet fidei donum obtinuit; sic de similiter conantibus, quod praesto est eis divinae beneficentiae auxilium, pia fides non dubitat... Quemadmodum in primitiva Ecclesia simpliciter interrogabantur baptizandi utrum crederent, utrum diaboli et pompis eius renuntiarent, utrum baptizari vellent; nec interrogabantur, utrum essent mundi a peccatis, an non, et utrum in caritate essent, etc., sed magis virtute Baptismi hoc

(54) Ed. Parisina 1500, IV, 2 fol. 268; Cf. SCHMOLL, l. c. p. 123.

(55) *Opera omnia*, ed. Londini, 1674, p. 466; Cf. SCHMOLL, p. 127.

(56) *De Sacram. Paenit.*, c. 6, Cf. MORINUS, *De contritione et attritione*, pars. 1, c. 4 ad finem.

eis praestandum praeparabatur, sic et *in sacramento paenitentiali digne et devote accedentibus praestari credimus quod intendunt*, eo quod venientes nondum habent propter quod, et per sacramentum illud quaerunt" (57). Et iterum inferius: "Iam diximus in praecedentibus quia sufficit ut dolor vulnerum peccatorum tantus sit, qui faciat aegrum quaerere paenitentialis sacramenti medicinam, tradereque se regendum ac medicandum spirituali medico, videlicet confessori. Diximus etiam plerumque quod [cum] minus habent artificii, et quod [cum] minus habent motus eiusdem de mortificatione veteris hominis, *supplet et superaddit virtus et efficacia sacramenti paenitentialis*" (58).

Alexander Halensis, O. S. F. († 1245) concipit attritionem ut dolorem imperfectum: "Cum enim quis atteritur de aliquibus peccatis suis, adhuc habet voluntatem aliorum nec universaliter dolet" (59). Attritio autem accrescit intensitate ad contritionem perveniens: "Quandoque peccator metu timoris dolet et atteritur de peccatis et proponit paenitere et praeparat se ad paenitentiam: qui quidam dolor sive attritio, vel potius ipsum propositum paenitendi quasi conceptum rude et informe in prima excitatione timoris et semper plus et plus, secundum quod peccator magis praeparat se, magis ac magis accedat ad formam, quousque informetur infusione gratiae" (60). Quod si quaeras in quo attritio et contritio discriminentur, inuenies attritionem procedere a gratia gratis data, contritionem vero a gratia gratum faciente. Unde demum discrimen stat in origine et informatione gratiae habitualis: "Simpliciter differunt attritio et contritio; non est tamen ita unus (scil. motus continuus) quin habeat partem et partem: in una parte est a gratia gratis grata et hoc nominat attritio, in alia parte est a gratia gratum faciente, et ipsum prout sic est nominat contritio: et sic simpliciter differunt" (61). Non secus atque Guilelmus Alvernus, nonnunquam in confessione attritum fieri contritum ducit: "*Si autem paenitens praeparatus, quantum in se est, accedat ad confessionem attritus, non contritus, dico quod confessio cum subiectione arbitrio sacerdotis et satisfactio paenitentiae iniunctae a sacerdote est signum et causa deletionis culpae et poenae, quia sic subiiciendo se et satisfaciendo, gratiam acquirit*" (62). "Quandoque... non conteritur homo ante confessionem sed *in ipsa confessione datur gratia contritionis*" (63).

Doctrina Halensis circa sacramentum paenitentiae fere tota apud S. Bonaventuram, O. S. F. († 1274) invenitur. Attritionem requirit praeparatio ad

(57) *De Sacram. Paenit.*, c. 4; Cf. MORINUS, l. c. pars I, c. 5 ad finem.

(58) *De Sacram. Paenit.*, c. 5; Cf. MORINUS, *ibid.*

(59) *Summa Theologiae*, Pars IV, q. 17, m. 5, a. 1, Coloniae, 1622, p. 552; Cf. AMÉDÉE DE ZEDELGHEM, O. M. C., *Doctr. d'Alexan. d'Alès au sujet du sacr. de pénit.* in *Études Franciscaines* (1925), p. 337-354.

(60) Q. 12, m. 3, a. 1, p. 441.

(61) Q. 17, m. 5, a. 1, p. 552.

(62) Q. 14, m. 2, a. 1, § 3, p. 468.

(63) Q. 18, m. 2, a. 1, p. 547.

iustificationem: “Uno modo dicitur iustificatio ad iustitiam praeparatio, et huic quidem necessaria est attritio vel dolor” (64). Duplici modo attritio fit contritio: “Ad illud ergo quod quaeritur utrum attritio fiat contritio... potest intelligi aut quod *habitus*, quo quis atteritur, formetur et illo conteratur, sicut fides informis fit formata; et hoc credo verum, credo enim, quod habitus paenitentiae informis per adventum gratiae formatur... Secundo modo potest intelligi quantum ad *actum substratum*; et adhuc concedo, quod actus, qui in principio sui est attritio, antequam interrumpatur, fit contritio, sicut patet de motu, quo quis vadit ad ecclesiam, si infundatur ei gratia in via” (65). Ipsa confessio prodest aliquando ad deletionem culpae pro illis qui nondum sunt contriti: “*Valet tamen [confessio] ad deletionem culpae quantum ad eos qui se non paraverunt sufficienter omnino*, et etiam poenae quantum ad alios, et ad multas utilitates” (66). Nec ad sacramentum paenitentiae adeundum requiritur caritas vel dispositio ad caritatem sufficiens secundum *veritatem*: “Ad sacramentum paenitentiae non est necesse, quod accedat habens caritatem, vel dispositionem ad caritatem sufficientem secundum *veritatem*, sed sufficit secundum *probabilitatem*. Haec autem dispositio est *attritio*, quae frequenter ob confessionem superadiunctam et absolutionem sacerdotis formatur per gratiam, ut fiat *contritio*, sive ad ipsam contritio subsequatur; *et multis ibi gratia conceditur*. Unde dico, quod sufficit, quod *probabiliter se disponat ad gratiam per omnium peccatorum detestationem*... Et si tu quaeras unde exigat hoc confessio... dico, quod hoc habet, quia est opus sacramentale ad iustificationem institutum; unde haec confessio ad absolutionem est ordinata” (67). Et inferius: “Possibile est, quod aliquis ad absolutionem accedat attritus, sicut ad baptismum; quare tunc non fiet attritio contritio, cum non sit fictus?” (68).

Ad haec autem intelligenda notetur oportet apud scholasticos illius temporis vocem communem fuisse (quod tamen adhuc plures thomistae tenent), requiri semper contritionem perfectam in iustificatione. Ita Alexander Halensis: “Dicendum quod ad iustificationem adulti necessario requiritur contritio” (69). Et similiter S. Bonaventura: “Deus enim expellit culpam infundendo gratiam; sed non infundit nisi ei qui concordat, et necesse est concordare gratiae adveniendi et peccatum expellenti. Gratiae ut adveniendi concordat per motum liberi arbitrii, gratiae ut peccatum expellenti, per motum contritionis” (70). Hoc autem pronuntiatum verum est saltem in sensu a

(64) In IV, dist. 17, p. 1, a. 1, q. 3, concl.; *Opera Omnia* ed. studio et cura PP. Collegii a S. Bonaventura, t. IV, p. 422 (Ad Claras Aquas, 1889).

(65) Dist. 17, p. 1, a. 2, q. 3 ad 3^{um}, p. 430.

(66) Dist. 17, p. 1, a. 2, q. 4 ad 2^{um}, p. 432.

(67) Dist. 17, p. 2, a. 2, q. 3, p. 447.

(68) Dist. 18, p. 1, a. 2, q. 1, p. 473.

(69) Q. 17, m. 4, a. 2, p. 535.

(70) Dist. 17, p. 1, a. 1, q. 3, p. 422.

pluribus ipsorum usurpato, scilicet, requiri ut attritio formetur per gratiam, qua formatione, attritio, ex defectu conceptus praecisi, ab ipsis contritio vocabatur, adeo ut quipiam non aliud discrimen reposuisse videantur inter contritionem et atritionem nisi hoc. Ita Albertus Magnus, O. P. († 1280). "Dicendum quod meo iudicio unus et idem dolor in substantia potest esse attritionis et contritionis; sicut etiam fides informis potest etiam fieri formata. Tamen pro utraque parte sunt opinantes: sed quod dictum est, mihi probabilius videtur" (71). Et inferius: "Attritio non ponit formam aliquam circa dolorem sed tantum dicit carentiam formae quae est gratia" (72). Quoniam vero Albertus existimavit materiam sacramenti paenitentiae esse "dolorem voluntarium manifestatum in signis exterioribus" (73), forma autem apud ipsum non sunt verba sacerdotis, sed "informatio gratiae vel gratia informans hunc dolorem in quantum sic informans" (74), ideo non potuit considerare an in ipso sacramento, vi ipsius fieret, in casu solius attritionis, illa coniunctio cum forma, qua attritio in contritionem pro ipso convertitur.

Ne quis vero existimet genuinum attritionismum, Guilelmum Parisiensem, Alexandrum Halensem et S^m. Bonaventuram defendisse; obstabat enim conceptus mancus de potestate clavium, quem a suis praedecessoribus acceperant. Guilelmus autem, qui inter illos plus accedit ad attritionismum, haec habet: "Neque more iudicum forinsecorum pronuntiat confessor *absolvimus te*, sed magis orationem facit super eum ut Deus absolutionem et remissionem atque gratiam sanctificationis tribuat" (75). Praeterea, in statuenda attritione sacramento paenitentiae necessaria, nimis laxam propugnagat sententiam, non requirens in attritione *propositum abstinendi a consuetis et eadem emendandi*, et existimans aliquando *virtute clavium huiusmodi propositum infundi*. Quod sine dubio non est admittendum.

Magis explicite illam priorum theologorum sententiam, qua de egimus, Alexander et S. Bonaventura explanant. Ita Halensis: "Si ergo quaeratur utrum potestas clavium se extendat ad delendam culpam, dicendum quod bene potest se extendere per modum deprecantis et impetrantis absolutionem: sed *per modum impertientis nequaquam*. Quoniam ergo *potestas* sonat in actionem impertientem ex se, potest dici convenienter et vere quod *non extendit se supra culpam*" (76). "In forma absolutionis praemittitur oratio per modum deprecativum et subiungitur absolutio per modum indicativum: et *deprecatio gratiam impetrat et absolutio gratiam supponit*" (77). Haec autem

(71) In IV, dist. 16 a. 8; *Opera Omnia*, ed. Vivès, t. 29, p. 560.

(72) Ibid., ad q. 2; p. 561.

(73) IV, dist. 16, a. 1, p. 540.

(74) Ibid.

(75) *De Sacramentis*, in *Opera Omnia* (Venetiis, 1591), p. 472, col. 2; Cf. TEETAERT, O. M. C., p. 261.

(76) P. IV, q. 21, m. 1, p. 614.

(77) Ibid.

verba fere ad litteram a S. Bonaventura repetuntur: "Si ergo quaeratur utrum potestas clavium se extendat ad delendam culpam, dicendum quod bene potest se extendere per modum deprecantis et impetrantis; et illud significatum est in benedictione sacerdotum, Numerorum sexto; sed *per modum impertientis non*. Quoniam ergo *potestas* sonat per modum activi et impertientis ex se, hinc est quod potestas clavium, proprie loquendo, *non se extendit supra culpam*" (78). Et immediate antea dixerat: "Nunquam enim sacerdos absolveret quemquam de quo no praesumeret, *quod esset absolutus a Deo*" (79). Hoc igitur tantummodo ab ipsis concessum erui potest: vi confessionis et partis deprecativae absolutionis, posse, ab eo qui attritus accedit ad sacramentum paenitentiae, impetrari contritionem et gratiam iustificantem obtineri. Imo adhuc tum requiritur, iuxta Halensem, quod "paenitens. praeparatus *quantum in se est, accedat ad confessionem*" (80), vel, ut vult S. Bonaventura, "quod ad sacramentum paenitentiae... accedat *habens caritatem vel dispositionem ad caritatem... secundum probabilitatem*" (81).

Nemo igitur hucusque attritionismum clare aperteque proposuerat. Sacerdos habebat profecto, de horum theologorum sententia, potestatem absolvendi culpam; haec vero ad summum potius impetrativa absolutionis peccatorum videbatur, ut notavimus, vel remissiva poenae temporalis, vel reconciliandi cum Ecclesia. Adhuc Halensis videtur ponere vim huius potestatis in remissione poenae temporalis. Ita ait: "Est clavis auctoritatis, clavis excellentiae, clavis ministerii. Prima est solius Dei, secunda est Christi, tertia est praelatorum Ecclesiae. Est enim obstaculum ostii regni peccatum commissum, contra quod obstaculum est clavis auctoritatis dimittendi peccatum, quam solus Deus habet. Est etiam aliud obstaculum reatus mortis aeternae, contra quod est clavis excellentiae; hanc Christus habuit, quia per passionem suam de reatu mortis aeternae pro nobis satisfecit, et nos ab illo reatu liberavit. *Est etiam aliud obstaculum seu peccati dimissi obligatio ad aliquam poenam temporalem, contra quod est clavis ministerialis, quam Christus contulit praelatis Ecclesiae*" (82). Potestatem sacerdotum reconciliandi cum Ecclesia ita a Scto. Bonaventura exponitur: "Habens clavem per potestatem clavis mediator est Dei ad hominem et hominis ad Deum. Unde per ipsum peccator ascendit ad Deum, et sic est sacerdos os peccatoris sive loquens pro peccatore; per ipsum descendit Deus ad hominem, et sic est sacerdos angelus Dei, immo os, eo quod ipse separat pretiosum a vili. Secundum quod ascendit habet se per modum inferioris et supplicantis; secundum quod descendit, per modum superioris et iudicantis. *Secundum primum modum po-*

(78) In IV dist. 18, p. 1, a. 2, q. 1, p. 473.

(79) Ibid.

(80) Q. 14, m. 2, a. 1, § 3, p. 468.

(81) Dist. 17, p. 2, a. 2, q. 3, p. 447.

(82) IV, q. 20, m. 1, p. 603; Cf. S. BONAVENTURA, In IV, dist. 18, p. 1, a. 1, q. 1, p. 470.

test *gratiam impetrare*, et ad hoc est idoneus, *secundum secundum modum potest Ecclesiae reconciliare*" (83). Attritionismum clare aperteque proponere, laus erat quae Doctori Angelico reservari videbatur, qui ambitum potestatis clavium dilucidius determinavit, cum iuxta ipsum claves datae sint non tantum ut peccator in facie Ecclesiae reconcilietur, sed etiam in facie Dei, et quidem causaliter agendo.

Mutatio autem inducta a Scto. Thoma eo magis miranda est, quod ipsius magister, Albertus Magnus, defendebat iustificationem fieri in contritione cum voto confessionis, ita ut confessio sequeretur contritionem et iustificationem: "Homo iustificatur in contritione, et confessio sequitur contritionem; ergo sequitur iustificationem; ergo confessio est iustificati" (84). Atque ideo saepe repetit sacerdotem non posse absolvere a culpa et poena aeterna: "Dicendum quod sacerdos non potest absolvere a culpa et poena aeterna; sed tantum absolvit relaxando partem poenae, nisi illo modo quo supra dictum est, quod votum clavium est in contritione habendo vim quamdam ad remissionem totius peccati" (85). Quid igitur pro nostro Alberto agit absolutio? Imprimis ipsa confessio solum operatur absolvendo a debito confessionis: "Confessio operans in voto cum contritione operatur iustificationem... Sed confessio in actu accepta non operatur aliter, nisi absolvendo a debito confessionis" (86). Absolutio autem modo remittit poenam temporalem, quae vocatur ab ipso purgatoria et mutatur in poenam expiativam, quae imponitur a ministro Paenitentiae: "Dicendum quod in veritate, meo iudicio, essentialis actus clavis est super poenam illam quae dicitur purgatoria, sicut videntur satis probabiliter concludere rationes primo inductae. Non tamen negandum videtur, quod ille qui habet in clavibus maiorem iurisdictionem, sicut Episcopus, Legatus et Papa, posset etiam de expiativa poena plus et minus dimittere secundum discretum iudicium causae necessitatis vel utilitatis" (87).

* * *

Prae oculis habere oportet rationem agendi sacramento paenitentiae propriam a Scto. Thoma in suis operibus expositam. Paenitentia non secus ac Baptismus, instituta est directe ad delendum peccatum: "Baptismus... et sacramentum paenitentiae conveniunt quodammodo in effectu, quia utrumque contra culpam ordinatur directe, quod non est de aliis sacramentis" (88). Profecto hoc ipso quod, iuxta omnes, Paenitentia ad sacramenta Novae Le-

(83) In IV dist. 18, p. 1, a. 2, q. 1, p. 473.

(84) In IV, dist. 17 a. 8, p. 670.

(85) Dist. 18, a. 7, p. 775; Cf. a. 10 p. 780.

(86) Dist. 17, a. 8, p. 670.

(87) Dist. 18, a. 11, p. 784.

(88) In IV dist. 18, q. 1, a. 3, so^l. 1.

gis pertineat et propter peccatum detur, evincitur, non modo ad poenam peccati, sed etiam ad ipsam culpam hoc sacramentum ordinari. Sacramenta enim Novae Legis gratiam conferunt; gratia autem non poenae sed culpae contradicit: "gratia non ordinatur contra poenam sed contra culpam". Qui igitur causalitas Paenitentiae ad solam poenam restringit, is sacramentalitatem negat Paenitentiae (89). Haec ratio loquendi, in qua Doctor angelicus suos praedecessores antecelluit, tota sistit in hoc quod ipse coepit *potestatem clavium* inspicere *ad culpam extinguendam* ordinatam: "Eodem modo se habet potestas clavium quae est in sacerdote, ad effectum sacramenti paenitentiae, sicut se habet virtus, quae est in aqua Baptismi, ad effectum Baptismi" (90).

Haec ergo potestas clavium in sacramento paenitentiae habet pro fine non ut ostendatur modo peccata esse remissa peccatori ad claves accedenti, sicut aiebat cum aliis Magister Sententiarum, sed ut vere cooperetur absolutio ad remissionem peccati sicut sacramentum baptismi: "Dicendum quod ista expositio: *Ego te absolvo* i. e. absolutum ostendo, quantum ad aliquid vera est, non tamen perfecta. Sacramenta enim Novae Legis non solum significant sed etiam faciunt, quod significant. Unde sicut sacerdos baptizando aliquem ostendit hominem interius ablutum per verba et facta, et non solum significative sed etiam effective, ita etiam cum dicit: *Ego te absolvo*, ostendit hominem absolutum non solum significative sed etiam effective" (91). Inde patet apud Doctorem Angelicum potestatem clavium non se extendere ad culpam per modum deprecantis et impetrantis, ut fuit placitum Alexandri Halensis et Scti. Bonaventurae, sed vere per efficientiam causalem. Et quidem in hac causalitate primas partes tenet absolutio: "principaliter hoc sacramentum ...consistit... quantum ad efficaciam in absoluteione sacerdotis" (92). Id sine dubio in magna Scti. Thomae laude ponendum est, intimam connexionem inter potestatem clavium et activitatem sacramenti paenitentiae ipsum quaesiisse. Primus enim Divus Thomas perspicue declarasse videtur actum potestatis clavium, quatenus ad forum internum pertinet, nihil aliud esse nisi formam sacramenti paenitentiae, quae ut talis est collativa gratiae; et cum Paenitentia sit ad delenda peccata ordinata, illa gratia est culpae peccati remissiva: gratia enim non poenam sed culpam extinguit (93).

Iam ad dolorem quod attinet necessarium in sacramento paenitentiae, distingit Doctor Angelicus inter contritionem et attritionem, non quidem motivis sed intensitate et informatione gratiae. Sic in *De veritate*, q. 28, a. 8. Obiectio 3: "Attritio praecedat gratiae infusionem, et culpae remissionem. Sed contritio ab attritione non differt nisi secundum intensionem doloris,

(89) In IV dist. 14, q. 2, a. 1, sol. 1; dist. 18, q. 1, a. 3, sol. 1; cf. *Comment. in Mat.* 16, 19.

(90) In IV, dist. 18, q. 1, a. 3, sol. 1.

(91) 3 p. q. 84, a. 3, ad. 5.

(92) In IV dist. 22, q. 2, a. 2, sol. 2.

(93) Cf. *Comment. in Mat.* 16, 19 et in *Io.* 11, 44.

quae speciem non variat. Ergo...". — Resp. "Ad tertium dicendum quod contritio ab attritione praecedenti *non differt solum secundum intensionem doloris, sed secundum informationem gratiae...*" (94). Animadvertatur autem a nullo adhuc tunc theologo distinctionem inter contritionem et attritionem in motivis inspicere coepisse.

Remissio peccati apud Sctum Thomam habetur tum ante sacramentum, tum etiam in ipso sacramento paenitentiae: "Remissio peccatorum utroque modo (scil. quoad poenam et culpam) est res ipsius paenitentiae sacramenti; quae aliquando tempore praecedit sacramentum exterius, aliquando autem in ipso sacramento efficitur: quia quando aliquis accedit ad confessionem *attritus*, non plene contritus, si obicem non ponat, *in ipsa confessione et absolutione, sibi gratia et remissio peccatorum datur*" (95). Tamen videtur statuere frequentius remissionem peccatorum haberi antequam quis clavibus Ecclesiae se subiiciat: "Claves Ecclesiae efficaciam habent in aliquo antequam eis se actu subiiciat, si tamen habeat propositum ut se eis subiiciat... et nihil prohibet quin *aliquando* virtute clavium alicui confesso in ipsa absolutione gratia conferatur, per quam ei culpa dimittitur" (96). Ad explicandum autem hunc duplicem modum iustificationis, qui tum ante, tum in ipso sacramento paenitentiae obtinetur, appellat ad theoriam de Paenitentia in re vel in voto (97). Hoc autem Scto. Thomae proprium invenimus, quod in utroque modo effectum gratiae sacramento paenitentiae attribuit: "Dicendum quod *res sacramenti* alicuius ultima est non tantum quam efficit actualiter dispensatum, sed etiam *quam efficit in proposito* existens, sicut patet de Baptismo in adultis. Et ideo cum paenitentia in proposito existens sacramentum, efficiat remissionem peccatorum non solum quoad poenam sed etiam quoad culpam, *remissio peccatorum utroque modo est res ipsius paenitentiae sacramenti*, quae aliquando tempore praecedit sacramentum exterius, aliquando autem in ipso sacramento efficitur" (98). Iuxta hanc igitur sententiam peccata post Baptismum semper virtute clavium remittuntur: "Ad secundum dicendum, quod paenitentiae sacramentum habet conferre gratiam ex virtute clavium, quibus se paenitens subiicit. *Contritio* igitur, si secundum se consideretur, non se habet ad gratiam nisi per modum dispositionis, sed si consideretur *in quantum habet virtutem clavium in voto*, sic sacramentaliter operatur in virtute sacramenti paenitentiae... Ex hoc igitur non habetur quod contritio sit *causa efficiens remissionis culpae*, per se loquendo, sed *virtus clavium*" (99).

(94) Cf. In IV dist. 16, q. 2, a. 2, sol. 2; dist. 17, q. 2, a. 2, sol. 6.

(95) In IV dist. 22, q. 2, a. 1, sol. 3.

(96) *Contra gentes*, l. 4, c. 72, ad finem; Cf. Opuscul. *De forma absol.*, c. 2, 7.^o

(97) *Quodlibet* IV, q. 7, a. 10.

(98) In IV dist. 22, q. 2, a. 1, sol. 3; cf. dist. 17, c. 3, a. 5, sol. 1; dist. 18, q. 1, a. 3, sol. 1.

(99) *De veritate*, q. 28, a. 8, ad 2.

Ex hac ratione causalitatis sacramenti paenitentiae in voto propria, quam consideravit Sctus. Thomas, potuit ipse deducere contritionem quantumcumque perfectam, absque voto sacramenti, non iustificare: "Dicendum quod nunquam potest esse vera contritio, sine voto clavium ecclesiae, quantumcumque sit dolor de peccato praeterito et propositum abstinendi in futurum" (100). Inde vero facile quis erueret votum explicitum requiri in contritione, quod tamen hodie vix admittitur.

Iam in ipsa iustificatione plura distinguuntur momenta ab Angelico Doctore: 1. motus liberi arbitrii (in Deum et in peccatum), 2. remissio culpaе, 3. infusio gratiae (101). Quae quidem omnia in instanti fiunt (102). Hic autem processus in iustificatione a pluribus theologis ante Sctum. Thomam expositus erat (103). De sententia igitur Scti. Doctoris in ipsa iustificatione simul cum infusione gratiae duo actus ab ipsa voluntate educuntur: actus fidei (motus in Deum = actus fidei caritate formatae) et actus paenitentiae (motus in peccatum = actus paenitentiae caritate formatae = contritio stricte talis). Tam alte respostum Scto. Thomae hoc principium manebat, ut fieri non posse existimaret iustificationem adulti absque his motibus simul in iustificatione erumpentibus. Ita aiebat: "Nullus habens usum liberi arbitrii potest iustificari absque usu liberi arbitrii, qui sit in ipso instanti suae iustificationis" (104). Propter hos motus liberi arbitrii, si quis accedit ad sacramentum paenitentiae attritus, *vi confessionis et absolutionis* evadit contritus: "Remissio peccati... est res ipsius paenitentiae sacramenti. Quae aliquando tempore praecedit sacramentum exterius, aliquando autem in ipso sacramento efficitur. Quia quando aliquis accedit ad confessionem attritus non plene contritus, si obicem non ponat, *in ipsa confessione et absolutione* sibi gratia et remissio peccatorum datur" (105). Et clarius adhuc in *Quodlibetis*: "Unde quandoque contingit quod aliqui non perfecte contriti *virtute clavium* gratiam contritionis consequuntur, dummodo non ponant obicem Spiritui Sancto" (106). Et in *Comment. in Mat.* 16, 19: "Sed potest accidere quod aliquis accedat non totaliter contritus, qui *virtute gratiae collatae in sacramento perfecte efficitur contritus*".

Iuxta Doctorem Angelicum igitur si quis accedit ad Paenitentiam modo attritus, *vi clavium* simul cum gratia accipit motum contritionis, unde evadit formaliter contritus et non tantum aequivalenter contritus. Fatemur tamen

(100) *Quodlibet* IV, q. 7, a. 10, ad 3.

(101) 1.^a 2.^{ae}, q. 113, a. 6.

(102) *Ibid.* a. 8.

(103) Cf. GÖTTLER, *Der heilige Thomas von Aquin und die vortridentinischen Thomisten über die Wirkungen des Bußsakramentes*, p. 58, nota 5 (Friburgi Brisgoviae, 1904).

(104) *De veritate*, q. 28, a. 3.

(105) *In IV dist.* 22, q. 2, a. 1, sol. 3.

(106) *Quodl.* IV, q. 7, a. 10.

nobis probabiliorē videri sententiā quam tenuit P. Suarez, S. I. (107), et inter recentiores P. Sasse, S. I. (108), scil. per sacramentū paenitentiae attritum fieri contritum *aequivalenter*, seu per informationem gratiae habitualis, quin requiratur excitatio attriti in contritionem.

Ex dictis patet Sanctum Thomam eosdem motus liberi arbitrii requirere in iustificatione praesacramentali, atque in alia sacramentali. In prima, ipse paenitens sua activitate, divino auxilio cooperante, ante sacramentū paenitentiae, pervenit ad motus liberi arbitrii sufficienter intensos, ut sint ultima dispositio ad accipiendam gratiam sanctificantem et virtutes, et cum his actum contritionis. In secunda autem, non obtinet illos motus liberi arbitrii qui sint ultima dispositio, nisi in momento absolutionis, vi ipsius gratiae sacramentalis, ac proinde vi sacramenti paenitentiae, quod est gratiae sacramentalis causa instrumentalis. Sanctus Thomas igitur proposuit verum attritionismum, in quo essentiale est hominem vere attritum vi sacramenti paenitentiae fieri contritum. Utrum hoc accidat formaliter vel aequivalenter per accidens se habet in systemate attritionismi. Licet igitur concludere Sanctum Thomam attritionismi primum viam inivisse.

Ex his quae in hac dissertatione evolvimus haec tria mihi videor demonstrasse :

1) Non sunt audiendi illi, qui his postremis temporibus ita loquuntur haec proferentes: decretistas et theologos usque ad saeculum XIII defendisse in sacramento paenitentiae necessariam esse contritionem caritate perfectam, nec sufficere imperfectam seu attritionem. Nequaquam. Tum theologī hanc quaestionem ne semel quidem tractaverunt. Id potius ad veritatem accedit: scriptores de doctrina sacramentaria, usque ad finem saeculi XII, solam contritionem perfectam considerasse, tum quia aliam nondum perpenderant, tum quia plures eorum nec aliam dari posse existimarunt, quae ut vera contritio haberi oporteret. Duae aliae quaestiones tunc potissimum agitabantur in scholis: prima, utrum quis obtinere posset necne remissionem peccatorum, extra casum necessitatis, cum nondum ad tribunal paenitentiae accessisset; secunda, quid conferat sacramentū paenitentiae in remissione peccatorum, tum vel maxime in sententia asserente remissionem fieri antequam paenitens ad claves Ecclesiae perveniat. In his semper tunc *supponebatur* contritionem ante sacramentū paenitentiae esse perfectam, sed omittendo aliam imperfectam considerare.

2) Cum in fine saeculi XII totum processum iustificationis magis pervestigarent theologī, motum contritionis in cursu considerantes, imperfectum in initio et perfectum in fine, statim hunc motum imperfectum seu attritionem posse fieri perfectum in sacramento paenitentiae plerique affir-

(107) *De Paenitentia* in *Opera Omnia*, edic. Vivès, t. 22, disp. 20, s. I, n.° 13-18.

(108) *De Sacramentis*, t. II, p. 156, nota (Friburgi Brigsaviae, 1898).

marunt. Definitio tamen attritionis satis impropria apud auctores tunc dignoscitur. Cum autem priores decretistae et theologi non accurate effectum proprium exercitii potestatis clavium explanassent, nihil mirum si hi primi theologi saeculi XIII sat incorrecte adhuc de hoc effectu loquantur, et existiment non nisi per preces sacerdotis obtineri posse in sacramento paenitentiae ut peccator, qui accedat ad claves attritus evadat contritus ac iustificatus; ita ut sacerdos non possit proprie absolvere, nisi cui antea Deus, motus per preces, interius contulerit peccatorum absolutionem.

3) Sctus. Thomas comparans sacramentum paenitentiae cum sacramento baptismi, statuit utrumque institutum esse in remissionem peccatorum nec tantum ad redimendam peccati poenam, sed praecipue ad ipsius culpam delendam. Nullum peccatum mortale post Baptismum commissum remittitur nisi virtute clavium, seu nisi per sacramentum paenitentiae in re vel in voto susceptum. Id autem explicandum est (109), (ad hoc tamen hic non est locus), quia apud Doctorem Angelicum locutiones inveniuntur, quae possent significare efficaciam Paenitentiae in voto esse ex opere operato, sicut Paenitentiae in re. Sctus. Thomas, (qui primus inter scholasticos bene applicavit doctrinam de materia et forma sacramento paenitentiae), recte exposuit gratiam iustificationis ab ipsa absolutione conferri; ac ita quidem ut si quis attritus ad claves Ecclesiae accesserit evadat contritus, huius sacramenti virtute. Aquinas etiam existimavit peccatorem per sacramentum paenitentiae semper evadere formaliter contritum; plures vero recentiores in hoc ab ipso recesserunt, probabilius ducentes, peccatorem saepe e tribunali Paenitentiae tantum aequivalenter contritum excedere.

(109) Cf. SASSÉ, S. I., *De Sacram.*, t. II, p. 101-103.

MANUEL QUERA, S. J.